

## I. DE CERUO.

### I. Ad omnes humores.

Cornus ceruinus habet uim omnes humores siccandi. Et ideo ex eo in colliriis ocularibus utuntur. Dentes si laxi fuerint, cornus combustus tritus dentes qui mouentur, confirmat, si ex eo pro dentifricatio utatur.

### II. Ad capitis dolorem.

Cinerem corni ceruini, dragma I, cum uini sestarium et aque duobus bibat. Etiam et uentris dolorem arcet.

### III. Ad profluuium mulieris.

Cornus ceruinus tunsus cum uino mixto bibat; sanabit.

### IV. Ad lumbricos necandos.

Cornus ceruinus combustus in aqua calida bibat; lumbricos necat et eiciet.

### V. Ad serpentes necandos.

Cornum ceruinum combure ubi fuerint serpentes; effugat eas.

### VI. Mulier si a uulua offucatur.

Quod uitium grece hystem cepnizan dicitur, corni ceruini puluerem nequissimum per triduum; pulueri potui cum uino dato, si febricitat, in aqua calida miraberis effectum.

### VII. Ad splenis dolorem.

Aut si in eo humo fuerit, cornum ceruinum combustum et ex oximelli datur potui, splenem siccat, et dolorem tollit.

### VIII. Ad inpetigines sanandos.

Cornum ceruinum combustum cum aceto tritum, mirifice sanat.

### VIII. Ad inpetigines de facie tollendas.

Cornum ceruinum combustum in solem faciem line et deterisa subinde renoua sed hoc sub ortu solis facias; mire sanat.